



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

2 Vtrum accusator in eadem causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Sec. II. An Accus. in causa sanguinis fiat irregularis. 727

mortis à potestate seculari, nec desiderare illud. Deinde fit, ut Ecclesiasticus iudex, quantum est ex se, ostendat animum absolendi potius quam damnandi, & hoc modo dicitur efficaciter intercedere, non quidem absolute petendo ut ita fiat, sed quoad iuste & licite fieri possit, quod vere & ex animo fieri potest. Igitur, siue hæc interpellatio necessaria sit ad vitandam irregularitatem, siue non prætermittenda non est, tum quia præ se fert pietatem, tum propter ius commune, & consuetudinem, tum propter maiorem severitatem: nam sine dubio vitia sunt omnia iuris adminicula, ut in eo casu tollatur omnis irregularitatis scrupulus. Quamvis in rigore propria ratio, ob quam non incurritur, esse videatur, quia in his casibus iudex Ecclesiasticus nec dat iurisdictionem seculari iudici, nec dicitur sententiam sanguinis, neque ad illam inducit, sed solum declarat delictum, & reum Ecclesiasticis penis affligit, permittitque ut à seculari brachio capiatur, & iudicetur: in quo non concurret per se ad mortem, sed valde per accedens.

SECTIO II.

Utrum Accusator in causa sanguinis fiat irregularis.

Ratio dubit.

Ermò est de accusatione iusta, nam si accusatio sit iniusta, manifesta est irregularitas, non ex defectu lenitatis, sed ex delicto. Et hinc nascitur ratio dubitandi, nam accusator, quavis sit iustus est causa homicidij, per quod inducitur irregularitas saltem ex defectu lenitatis: ergo hanc participabit accusator. Nam in hac materia generalis regula est omnes voluntarie cooperantes ad homicidium, participare irregularitatem, quam tale homicidium inducit. In contrarium vero est, quia si non esset fidelibus liberum, ius suum per accusationem postulare in similibus causis, magna licentia nocendi daretur iniquis hominibus, ex quo magna incommoda provenirent, & toti Christianæ Reipublicæ, & singulis eius, perfonis.

Circa hoc exponendum à nobis est cap. secund. de Homicidio in 6. & illius occasione dicemus omnia, quæ in hoc puncto necessaria sunt. Declarat ergo ibi Pontifex non fieri irregularem clericum per talem accusationem, etiam secuta morte, vel mutilatione accusari, dummodo in tali accusatione quo fuerentur. Primum est, ut accusator petat emendam sibi fieri, & providere ne contra eum talia de cetero præsumantur. Aliud est, ut expresse protestetur, quod ad vindictam seu penam sanguinis non intendat. Si ergo hæc fuerentur, vitatur irregularitas, quia expresse ita disponitur. Ratio autem, quæ movet Pontificem est supra insinuata, ne detur pravis hominibus materia & licentia inferendi innocentibus iniurias. Unde quando illa concurrunt, talis accusatio non censetur cooperatio, neque excitatio ad homicidium, sed reputatur quædam iusta defensio, & excitatio tantum ad actionem, vel satisfactionem iustitiam; alius autem effectus est per accedens, & præter intentionem sequutus. Neque est dubium, quin necessaria sit externa protestatio, quia ius illud expresse eam requirit ad vitandam irregularitatem. Quia enim actio illa exterioris accusationis speciem quædam habet inductionis, vel occasionis homicidij, voluit ius ut etiam exterius occasio illa, vel indecentia, quoad fieri posset tolleretur. Estque optimi consilium ut statim cum ipsa accusatione fiat: si tamen tunc omittatur, non erit substantialis defectus, dummodo ante latam sententiam fiat: ut significavit Couarru, dict. §. numer. 2. quia tunc potest ha-

bere effectum intentum, & in d. cap. aliud non præscribitur.

Dubitari autem potest primo an oporteat hanc protestationem ex animo fieri, vel sufficiat exterior, etiam si accusator interius desideret, ut sententia sanguinis contra accusatum proferatur. Multi censent licet in exteriori foro excusetur ab irregularitate, tamen in conscientia non excusari, nisi etiam interiori animo & desiderio fiat. Sylvester verbo *Homicidium*, 2. quæst. 8. & Nauarr. ca. 27. numer. 226. qui referunt Hostiensem, Ioan. Andr. Dominicum. Ratio eorum est, quia protestatio à iure requisita, est vera, & non ficta aut mendax. Contrariam tamen sententiam existimo veriorē, quam tenet Couarr. d. §. n. 3. cum Felino in ea. *Postulasti*, de Homicidio, ubi cum Ioanne Andrea; declarat illam intentionem esse de consilio, non de necessitate. Couarruias vitatur ea ratione, quia lex humana non fertur in actus internos, nec propter illos irregularitas contrahitur. Sed hæc ratio, nisi aliquid amplius addatur, non conuincit, ut Nauarr. notauit, quia, licet lex humana non puniat, vel præcipiat interiorem actum per se sumptum, punit tamen vel præcipit actum externum, ut manantem à tali interiori, & inferiorem ut coniunctum exteriori, & ita in presenti potuit irregularitatem imponere propter accusationem factam ex tali animo, vel cum tali protestatione ficta.

De potestate igitur mihi non est dubium, sed factum nego: quia in illo textu nulla fit mentio interioris intentionis, sed tantum exterioris protestationis expressæ: ergo dummodo hæc fiat, sufficienter seruatur illa lex, qualiscunque sit interior voluntas. Quodcumque enim lex præcipit actum exteriorem, solum præcipit illum interiorem, qui necessarius est ad substantiam talis actus, & non prohibet alias intentiones accidentales, & internas, dantes extrinsecas malitias, nisi hoc expresse declaret, ut quando prohibet hoc fieri ex odio, vel aliquid simile: in presenti autem textu nihil tale exprimitur. Falsum ergo est protestationem illam in eo casu non esse talem, qualem ius requirit ad excusandam irregularitatem, nam est protestatio expressa, ut supponimus, & ius nihil aliud requirit. Cum autem obicitur, quia ius non requirit fraudulentam protestationem. Respondemus primo, non requirere illam, neque approbare: neque vero illam excludere, sed admittere ut sufficientem ad irregularitatem vitandam: sicut Ecclesia non præcipit communionem sacrilegam, admittit tamen ut sufficientem ad vitandam aliquam censuram. Deinde, quamuis, protestatio illa respectu prauæ voluntatis seu desiderij fraudulenta videatur, tamen respectu intentionis legis non est fraudulenta, neque in rigore continet mendacium, quia per eam non profitetur accusator se non habere internum odium, vel desiderium, sed quod per eam accusationem non intendit vindictam sanguinis, quod potest simul stare cum illo odio, vel desiderio: potest enim quis velle alteri mortem, & nolle ut ex actione sua causetur.

An decisio d. cap. 2. etiam in laicis locum habeat.

Secundo dubitari potest, an decisio illius textus in clericis tantum locum habeat, vel extendi debeat ad laicos, etiam si textus ille de solis clericis loquatur. Respondeo duo haberi ex illo iure. Vnum est, facta illa protestatione non incurri irregularitatem in eo casu: aliud est, necessariam esse protestationem ad vitandam irregularitatem. Quoad primum, non est dubium quin illa concessio ad lai-

An prodest statio debeat procedere ex interiori affectu. Sylvest. Nauarr.

Couarr. Felin.

Protestatio in laico sufficit ad vitandam irregularitatem.

An sit in laico
co necessa-
ria.
Ratio dubit.

cos extendatur, propter rationem supra factam, A quod actio quæ in clerico non censetur cooperatio ad homicidium secundum iura, neque in laico censeri potest. Item quia clericus magis debet esse separatus ab omni specie, & umbra homicidij, quam laicus. Item, quia lex quoad hoc est fauorabilis, & ideo amplianda, ubi eadem, vel maior ratio militat. De altera vero parte potest esse dubitandi ratio, quia protestatio illa sub ea necessitate imposita, onus graue est, ergo non est extendendum ultra eas personas, quibus in iure expresse ponitur. Et confirmatur, nam seculo illo iure posset laicus sine irregularitate ius suum petere coram iudice seculari, nulla facta protestatione: ergo per illud nouum decretum non est limitata hæc facultas in laico, cum de illo non loquatur. Antecedens patet, quia in actuali congressu seu illatione iniuriæ laicus potest defendere se, & bona sua absque irregularitate, ut dictum est: ergo quamuis illatam iniuriam non possit vindicare, nec bona sua propria auctoritate recuperare, potest per iudicem se indemnem tueri absque irregularitate, quidquid inde sequatur.

Etiam in laico
protestatio
requiritur
ad irregu-
laritatem
vitandam.
Nauarr.
Covarr.
Soto.
Ludgim.
Abb.
Imola.

Nihilominus communiter Doctores intelligunt protestationem hanc etiam laicis esse necessariam, Nauarrus capit. 27. numero 213. & 214 & 226. Covarruias dict. §. 5. Soto 5. de iustitia, quæstione prima, articulo nono, circa finem. Ledesma secund. parte 4. quæstione 26. articulo secund. & communiter Summistæ, & iuris interpretes in dicto capitulo secund. de homicidio in sexto, & in cap. Olim. de restitutione spoliatorum & in cap. Grauis, eodem tit. ubi præcipue Panormitanus, & Imola. Ratio autem est, quia in illo cap. non ponitur hoc tanquam nouum grauen, sed potius tanquam irregularitatem: nam hæc incurrenda fuisse ex vi talis accusationis, quæ ex se moralis occasio est mortis subsequente, quia tamen illud erat valde onerosum fidelibus, ideo à iure inuentus est modus ille, ut per eum impediatur, quoad fieri potest, moralis concursus ad homicidium, quatenus per eam protestationem declaratur, accusationem, & voluntatem, à qua procedit, non tendere ad mortem accusati. Iuxta quam sententiam dicendum est, etiam ante illud decretum libri sexti accusatorem laicum fuisse incursum irregularitatem in eo casu, quia accusatio absolute non est defensio: & ideo ratio supra facta non procedit, alioqui idem de clericis probaret, quia in ipsa actuali iniuria etiam illi possunt se defendere. Constat autem, ante illud nouum ius clericos accusantes sine protestatione in simili casu futuros fuisse irregulares, quia in illo capitulo, secund. non est eis imposita protestatio tanquam nouum grauen, ergo si nunc sit irregularis accusans sine tali protestatione, multo magis antea. Imo quod antea, etiam cum protestatione fieret irregularis multi Canonistæ sentiunt in dicto capitulo. Olim. & dicto capitulo grauis, & videri potest Villadiego de Irregularitate, capitulo sexto numero 51. quod si verum est, idem erat de laico, quia nullum extabat ius, quod laicos in hoc exciperet, vel maius grauen clericis imponeret. Imo in capitulo. Seditionarios, 46. d. absolute dicitur, iniuriarum suarum ultores non esse clericos ordinandos: quod necessario intelligendum est de his, qui viciuntur vsque ad deformationem; & ibi non distinguitur, quod per se, vel per iudicem faciant. Igitur ius illud commune est clericis & laicis quoad hoc.

Vill. lig.

An præter prædictas duas condiciones, alia requiratur ad irregularitatem vitandam.

7. Condicio.

Tertio dubitari potest an semper hoc liceat, vel cum quibus circumstantiis. Quidam existi-

mant non semper licere, sed quando non subest aliud remedium ad recuperandum damnum illatum. Ita refert, & sequitur Syluester verb. Homicidium, secund. quæstione 8. & ibidem Angelus, & Tabiena verbo, Irregularitas, §. 3. & nonnulli facient Felinus, & Panormitanus in cap. Postulasti, de Homicidio, & Nauarrus consil. 9. de Homicidio. Nihilominus non censeo hanc limitationem esse necessariam, quia textus absolute loquitur, & concedit illam facultatem: & quia non solum eam concedit propter damni satisfactionem, sed etiam propter providentiam in futurum, ne contra accusatoris personam talia de cetero præsumantur, quæ providentia moraliter adhiberi non potest, nisi per superiorem, si debito modo adhiberi debeat. Et ita alij auctores sine tali limitatione loquuntur.

Secundo alij adhibent limitationem, dum modo poena sanguinis non sit infallibilis & certa, iuxta cap. Postulasti, de Homicidio, & cap. Tu nos. §. ult. eod. titulo. Dico tamen limitationem non esse veram neque ex dictis iuribus colligi. Ita Felinus & Ioannes Andr. d. capit. Postulasti, etiam si, (inquiunt) accusator certissime sciat reum moriturum. Probatur primo ex verbis illis dicti cap. secund. quamuis alias in tali casu de iure debeat poena sanguinis irrogari: ergo quamuis talis poena sit certa de iure, & quamuis confiteri mortaliter factum esse sufficienter probandum: ac denique licet pro certo credatur iudicem mortem illaturum, iustitia exigente: non incurritur irregularitas, nam hæc omnia in illo textu clare proponuntur. Solum est expendendum verbum illud iustitia exigente: quod eodem modo exponendum est, quo aliud simile explicuimus præcedente sectione circa c. ult. Ne clerici vel monachi in sexto. Oportet ergo ut accusator iustitiam postulet, & nullo modo iudicem inducat ad iniunctam sententiam ferendam; alioqui, quantumvis protestetur, non vitabit irregularitatem. Imo, ex ultimo, ut non solum petat rem iustam, sed etiam per iustas & legitimas probationes. Itaque si quis verum delictum in accusatione proponeret, quia tamen illud erat occultum, & probari non poterat, induceret falsos testes, & per eos conuinceret reum, vel si precibus aut muneribus induceret iudicem, ut contra ordinem iuris sine sufficienti probatione, saltem semiplena interrogaret, & torqueret reum donec ab eo confessionem extorqueret: existimo tunc, sequuto effectu mortis vel mutilationis, non vitari irregularitatem. Quia tunc non fit iustitia exigente, sed contra iustitiam: nam licet in re ipsa videatur, postulari æquitas quantum ad compensationem damni illati; tamen modus est iniquus: & (ut ego existimo) etiam contra iustitiam commutatiuam, quia in re nihil aliud est, quam propria auctoritate, & per quandam vim moralem, vel fraudem inferre mortem proximo ad recuperandas res alias. Hanc autem iustitiam noluit lex canonica fouere, & ideo sine dubio in eo casu non vitatur irregularitas, sed solum quando iuste proceditur ex parte accusatoris. Tunc autem, licet fortasse iudex excedat, vel iniuste agat dummodo accusator non sit causa talis iniustitiæ, etiam si fortasse illam præuideat futuram ex malitia iudicis, non incurrit irregularitatem; nam ipse solum petit quod iustitia exigente fieri potest, & debet.

Neque obstat dict. cap. Postulasti, quia ibi agebatur proprie de restitutione decimarum Ecclesiæ debitum, quam potuissent debitores facere sine periculo sanguinis: tamen, quia ex vi sua malitia restructuri erant, inde oriebatur periculum: quæ ratio sufficiens erat in eo casu ad excusationem irregularitatis, & ideo Pontifex illam reddidit, non excludens rationes alias, nec de aliis casibus loquens. Secundo dicitur, probabile esse secundum antiqua iura hoc non liquisse sine periculo irregularitatis.

Secl. II. An Accus. in causa sanguinis fiat irregularis. 729

nisi in eis casibus, in quibus secundum iura non erat imposita poena mortis, vel mutilationis, vt significauit Glossa verb. *Irogari*, in dict. cap. 2. ita exponens dict. cap. *Postulasti*. Atque eodem modo posset responderi ad aliud §. cap. *Tua nos*: quamuis ibi non excusetur irregularitas propter ignorantiam vel incertitudinem euentus, nulla enim de hoc fit mentio: sed solum excusari videtur, propter honestatem actionis de se valde remotæ ad homicidium: neque est ibi sermo de accusatore sed potius de teste, de quo infra dicemus.

Tertia limitatio, & maxime apparens est, vt accusatio fit in causa ciuili, non autem pure criminali: ciuilem voco, non quia non agatur de delicto, hoc enim & est contra textum, & inuoluit repugnantiam in casu, sed quia tantum agendum est de recuperatione damni illati per tale delictum, non autem de vindicta delicti, quæ dici solet late causa ciuilis, vel criminalis ciuilitate tractata. Vnde, si reus paratus sit ad restituendum, vel satisfaciendum integre sponte sua sine coactione iudicis, vel si iniuria talis fuit, vt nullam aliam admittat satisfactionem præter vindictam, tunc non potest accusatio fieri etiam cum protestatione absque irregularitatis periculo, quia tunc solum criminaliter agitur, & nullo modo ciuilitate: criminalis autem actio per se tendit ad punitionem: ergo, si punitio in tali casu per legem est definita ad poenam sanguinis, actio illa directe tendit ad talem poenam. Hanc limitationem ponit Felinus, in dicto cap. *Postulasti*, requirit enim vt accusator præcedat interesse, alias protestatio, ait, esset inanis: Idem significant Panormitanus & alij. Sed videtur intelligendum de interesse, quod est in reparatione damni recepti, vel in custodia, aut præuentione, ne similes violentiæ fiant. Itaque solum hoc sensu vera est limitatio, quod accusatio non debet directe ad vindictam, & poenam fieri; tunc enim procedit optime ratio, quod talis protestatio vana esset, & repugnans accusationi, per quam directe induceretur iudex ad sanguinis effusionem: scilicet autem hac directe accusatione si obseruentur cetera, quæ in illo capite secundum definita sunt, non erit necessaria alia limitatio. Nam in illo capite datur licentia accusandi, non solum ad emendam, id est, recompensationem damni, sed etiam ad implorandam iudicis prouidentiam, ne contra eos talia de cetero presumantur, quæ quidem prouidentia, licet ex parte iudicis non fiat sine punitione, ex parte postulantis illam, potest dici actio ciuilis potius, quam criminalis. Nam si est actio ciuilis, qua petitur reparatio damni illati, cur non erit etiam ciuilis illa, qua petitur præseruatio à damno inferendo? Hac ergo ratione semper licet pro iniuria illata officium iudicis per accusationem implorare, & si debito modo fiat, ob eam rem non incurretur irregularitas, vt in dicto textu significatur, & in citato etiam cap. *Postulasti*, tunc ergo adiuncta protestatione nihil est periculi.

Quarta limitatio est, vt accusator in propria causa postulet, non in aliena. Quæ videtur habere fundamentum in dicto capite secundum ibi. De laicis suis molefactoribus, non ergo de alienis: & infra, *Petunt emendam sibi fieri, & prouideri ne contra eos, &c.* Vbi semper refertur accusatio, & intentio, ac effectus eius ad commodum ipsius accusatoris. Ratio autem reddi potest, quia ius proprium, vel ad propriam defensionem vel conseruationem est maxime naturale, & ideo in fauorem eius illa specialis concessio facta est, quæ non potest à nobis ultra verba legis extendi. Ita tenet Felinus in capite *Postulasti*, de homicidio, & dicit esse communem sententiam, quam Nauarrus capit. 27. nu.

Amero 213. Couarruias dict. §. 5. numero quinto, & alij statim citandi sequuntur: limitant tamen illam ex Caietano 22. questione 33. articulo septimo, distinctionem facientes inter accusationem, & denunciationem. Vnde licet dicant accusationem in causa aliena fieri non posse sine periculo irregularitatis; denunciationem tamen ex charitate admittunt fieri posse. Fundari autem debent non in dict. cap. 2. cum dicant illud loqui tantum in causa propria, sed in hoc quod nullibi talis denunciatio est prohibita, vt statim patet; addunt vero seruandas esse quasdam condiciones. Prima est, si denunciatio fit de malo, quod in futurum imminet: nam totam rationem huius rei ponunt in lege charitatis de subueniendo proximo, & liberando illum à graui periculo, quod respicit futurum nocumentum. Nam si damnum sit iam illatum cessat occasio defensionis: ad vindictam autem, vel restitutionem procurandam non obligat, nisi fortasse in eo casu, in quo post vnum damnum illatum timeretur aliud, vel nisi damnum illud semper pendeat in futurum, quia, videlicet, recuperari non potest res ablata, cuius perpetua amissio esset graue nocumentum proximo. Semper tamen hæc denunciatio respicit nocumentum, quod impediri, vel recuperari potest.

Secundo postulare videtur Caietanus, vt non solum liceat, sed etiam necessarium sit ex lege charitatis talem denunciationem facere: nam in hoc præcipue fundatur, quod lex Ecclesiæ non prohibet illa, quæ sunt de lege naturali: nec est verisimile quod clericus fiat inhabilis ad sacrum ministerium, propterea quod impleat legem charitatis. Et quidem in casu obligationis præcepti mihi videtur res indubitata, propter rationem factam. Neque est simile si quis officiat, iudicem fieri irregularem dando sententiam, etiam si præcepto ad hoc teneatur: nam hæc est obligatio subsequens (vt sic dicam) voluntatem habendi, & exercendi tale munus: alia vero est obligatio præueniens voluntatem, orta ex ipsa rei natura seu lege charitatis. Maius mihi dubium est an sit necessaria præcisa obligatio, quia etiam non videtur esse intentum Ecclesiæ impedire licitum vsum charitatis in defensionem innocentium, vt in superiori sectione in simili puncto dictum est: & ideo quando periculum actu & in particulari imminet, probabile censo satis esse, quod talis denunciatio sit actus misericordie. Imo hoc etiam indicant dicti auctores dum aiunt, hoc non solum habere locum in defensione boni communis seu Reipubl. sed etiam in defensione priuata personæ innocentis, nec solum in casu homicidij, sed etiam in casu rapinæ, & huiusmodi, cum tamen respectu priuata personæ saepe possit hoc esse licitum, & non obligatorium, quia non semper tenemur vni proximo subuenire cum tanto dispendio alterius.

Tertia conditio à Caietano posita est, vt denunciatio fiat cum expressa protestatione, quod solum fit ad cautelam & defensionem proximi non ad vindictam sanguinis, & consequenter vt denunciatio non fiat per verba, quæ inducant ad capiendum vel puniendum molefactorem: idem Couarruias & Nauarrus supra, & in capite *Inter verba*, corollar. §. 8. numero 222. & in Summ. capit. decimo octauo, numer. 54. & capit. 24. num. 11. Hæc conditio videtur probari à Caietano. ex dicto cap. 22. dum ait, esse protestationem adhibendam, vt denunciatior conformetur se canonij. Sed consequenter loquendo, non videtur posse colligi ex illo cap. quia illud agit de accusatione, hic autem loquimur de denunciatore, quæ iuxta prædictos auctores facilius conceditur, & ideo extenditur ad causas alienas: ergo licet

licet ex vi illius iuris protestatio requiratur ad accusationem, non est extendenda ad denunciationem; quia esset augere rigorem. Vnde Nauar. d. 6. 18. nu. 54. dicit solum esse necessariam protestationem in eo casu quoad forum exterius. Sed eadem difficultas procedit de exteriori foro. Vnde non video quo fundamento inter vtrumque forum hic distinguat. Igitur consequenter loquendo in hac sententia dicendum est, protestationem illam, quæ ex natura rei necessaria visa fuerit, postulandam esse, & non aliam: videtur autem ex natura rei necessaria illa quæ sufficiat, ut mens denunciantis satis exprimat, mirum non intendere nec postulare punctionem, sed solum ut damnum proximi impediatur: quod ex natura rei est necessarium ad vitandum cooperatorem, vel inductionem ad homicidium, etiam iustam, & consequenter ad vitandum irregularitatem supposita generali lege Ecclesiastica.

14 Quarta conditio est, ut denunciatio talis personæ sit medium moraliter necessarium ad impediendum illud malum, nam si alia via impedi potest, vel si sufficit denunciare in communi periculo noximenti, non nominando in particulari personam malefactoris lex charitatis non obligat, neque permittit uti tali medio: nam eadem charitas, quæ inclinat ad vitandum malum vnius proximi, inclinat etiam ad vitandum infamiam, & derisum corporale alterius, & ideo ita eligit prodesse vni ut non obstat alteri, si potest. Vnde hæc conditio virtute continetur in secunda: nam hæc facultas oritur ex lege charitatis, & ideo tunc conceditur, quando seruatur ordo charitatis.

15 Hæc sententia quantum ad hoc posterius de usu denunciationis quando necessarius est ad præueniendum vel vitandum graue malum proximi, mihi maxime probatur. Et fortasse Felinus, & alij Canonistæ licet indistincte loquantur, non intendunt hæc partem de necessaria denunciatione negare: quæ maxime indubitata est, quando talis denunciatio cadit sub præcepto charitatis. Hiuc vero ulterius addo, consequenter idem dicendum esse de accusatione in aliquo casu: suppono enim ex D. Tho. Caietano, & omnibus in 2.2. quæst. 68. art. 1. accusationem aliquando esse in præcepto propter commune bonum, quando alia via damnum multitudinis impedi non potest, & per accusationem potest, quia potest probari delictum, & iudex fungi officio suo. In eo ergo casu, quo aliquis accusat ex præcepto, non incurrit irregularitatem. Et ita Caiet. licet non meminerit accusationis, illam non excludit, sed vitur verbis communibus, scilicet, licere coram Iudice proponere, aut Iudici reuelare, &c. Et eodem modo loquitur Soto, Rele. de Tegen. sece. Memb. 2. qu. 4. c. 2. in fine, tamen q. 5. ca. 3. circa fin. vitur verbo denunciandi, lib. autem 5. de iust. quæst. 5. artic. 1. ad 4. utroque modo loquitur, vnde non videtur aliam differentiam agnoscere inter denunciationem, & accusationem, præter infra assignandam. Atque in eundem censum trahendi videntur Couarr. & Nauarrus, qui Caietanum sequuti sunt. Tunc autem maxime sunt seruandæ aliæ conditiones, præsertim protestatio sufficiens, & quod non sit alia via lenior, & suauior, qua possit communi bono satis prouideri. Vnde, licet contingere possit, ut non obstat sufficientia alterius medij, adhuc sit licita accusatio ex zelo iustitiæ, pensatis conditionibus personæ puniendæ in exemplum aliorum, ut notauit Caietanus dicto a. 1. q. 68. nihilominus non vitabit quis irregularitatem, si ex tali accusatione sententia sanguinis, eiusque executio sequatur, quia ad vitandam hanc irregularitatem non satis est accusationem esse licitam; sed oportet ut sit etiam necessaria ad proximum defensionem, quia alias iam illa cooperatio ad homicidium voluntaria est, cum nec ex natura rei, nec ex præcepto sit necessaria. Quoad hoc vero ea-

dem ratio est in denunciatione: nam quarta conditio supra posita etiam in denunciatione alias licita locum habet. Vnde quod supra dicebamus, probabile esse, sufficere denunciationem esse licitam, quæ non sit in præcepto, intelligendum est, quando aliqui est necessaria ad proximi defensionem: potest enim esse necessaria, & nihilominus non esse in præcepto propter extrinsecas rationes excusantes: nam timor damni inferendi vni proximo excusat obligationem liberandi alterum à periculo: & tunc procedit superior doctrina. Illa vero cum eadem proportionem & probabilitatem locum habet etiam in accusatione licita, & non præcepta. Nam iuxta doctrinam D. Tho. & communem, propter periculum priuatæ personæ nemo tenetur accusare alium, quantumvis accusatio videatur necessaria, ac subinde licita sit: tunc ergo videtur talis accusatio sufficiens etiam ad vitandam irregularitatem, propter rationes supra tactas de proximi defensione. Atque ita inter accusationem & denunciationem nulla requiritur differentia, nisi quod ubi denunciatio sufficit, & ex illa minus periculum imminet, quod perueniat ad sententiam sanguinis, illa sola vitandum est, & non ad accusationem procedendum, ne quis obligetur ad producendos testes, & conuincendum reum, atque ita efficaciter promouendam causam sanguinis, quod vitandum est quoad fieri possit, ad vitandam irregularitatem.

Sed dicit tandem aliquis. Quid ergo discriminis est inter accusationem in causa propria, vel aliena? Respondeo, primum & maximum esse, quod in causa propria potest quis libere accusare facta protestatione, siue alia via possit res suas recuperare, vel damnum impedire, siue non possit: quia in tali causa hoc non solum licet naturali iure defensionis sed specialiter iure positio, ut supra circa primam limitationem declaratum est. At vero in causa aliena hoc solum licet, in ordine ad irregularitatem vitandam, quando non suppetit alia via præueniendi damnum vel periculum: quia hoc solum conceditur ex naturali iure defensionis innocentis. Secundo hinc fit: ut in causa propria certa sit excusatio irregularitatis etiam si homo non teneatur accusare, sed solum licet possit: in causa vero aliena iuxta sententiam magis receptam necessaria sit obligatio accusandi: nam licet dixerimus, probabile esse sufficere iustam defensionem proximi per accusationem, quamuis non sit ex obligatione, tamen in praxi aliud videtur securus propter communem sententiam. Tercio, in causa propria non oportet ut periculum certum nocenti in particulari imminet, sed sufficit iniuria illata cum illa communi ratione, ut in futurum non presumatur similes iniuriæ, vel ab eadem persona, vel ab aliis. At vero in causa aliena necessarium est, ut nocementum in futurum imminet in particulari ex determinato delicto, quod sit quasi in fieri, ut si dicam, seu in actuali aggressione, à qua proximus defendendus sit per manum iudicis, ut satis explicatum est.

17 Ultimo quæret aliquis, quid per causam propriam intelligendum sit, an sola iniuria personalis, vel aliquid amplius: quia coarctatio ad propriam personam videtur nimia, si autem admittatur aliqua extensio, vix apparet quibus terminis limitanda sit. Multi Doctores sub causa propria comprehendunt sententiam non solum iniuriam propriæ personæ, sed etiam propinquorum, ut sunt cognati aut propinqui fratres, parentes, &c. Quod est probabile. Tamen ut possimus aliquam certam regulam assignare, & ut teneamus proprietatem verborum textus, necessarium est dicere, tantam esse debere coniunctionem, ut alterius iniuria in propriam personam censetur redundare, qualis censetur regulariter esse inter parentes & filios & fratres inter se, non vero in aliis gradibus, nisi specialis aliqua ratio intercedat, ut si iniuria

Quando
absque irre-
gularitate
licet accu-
satio in cau-
sa aliena.
D. Thom.
Caiet.

Soto.

iniuria fiat in mea domo, vel personæ quæ existit sub cura & protectione mea, vel cum alia simili circumstantia, quæ interdu non solum inter amicos, imo aliquando etiam inter extraneos facit, ut iniuria alterius tanquam propria reputetur. Atque ob similem causam potest Dominus accusare, propter iniuriam factam famulo, vel mancipio, non solum propter nocumentum, quia leditur in re sua, sed etiam propter iniuriam propulsandam, & similem præcauendam. Atq; maiori ratione potest prælati Ecclesiæ conquiri de iniurijs suorū clericorum, vel implorare auxilium magistratus secularis ad propulsandam iniuriā, vel nocumentum illatum suæ Ecclesiæ, iuxta d. c. *Peruenit*, nā licet ipse magister ex officio teneatur has iniurias vindicare, nō expectata Episcopi accusatione, iuxta l. *Si quis hoc genus*, c. de Episc. & cler. nihilominus ipse Episcopus habet facultatē petendi Iudicis officium, & providentiam contra talem reum, neque est q̄ timeat irregularitatem facta protestatione in causa sanguinis, quia iniuriam illam merito potest reputare tanquam suam. Et simile est de quolibet alio, ad quem ex peculiari officio, aut iure spectet cura alterius personæ cui iniuria facta est.

18
Conclusio ex dictis.
Ex his igitur concludo, ut accusatio liceat in causa sanguinis ad accusatorem pertinentē, facta protestatione, absque periculo irregularitatis, nō esse necessariam aliquam limitationem, præter hæc, quod feruentur conditiones vel circumstantiæ in dict. c. a. 2. infirmat, cuius nonnulla verba notanda sūt. Primum est illud, *Qui de laicis suis malefactoribus*: nam de clerico malefactore accusatio faciendā est coram Iudice Ecclesiastico; & ita non habet locum hæc constitutio, ut statim dicetur. Ii autem fiat coram Iudice laico, est iniusta & iniqua: & similis erit sanguinis sententia, si inde sequatur, & ita non poterit excusari irregularitas, quæ tunc non erit tantum ex defectu lenitatis, sed homicidij voluntarij. Aliud verbū est, *Penes seculares iudicem*, nam penes Ecclesiasticum semper hoc licuit, nec est necessaria protestatio, quia Ecclesiasticus Iudex non potest procedere ad sententiam sanguinis. Quod si fortasse procedat vsque ad declarationem criminis digni tali poena, relinquendo personam Reū in potestate brachij secularis, adhuc accusator non fiet irregularis, quamvis protestationem non præmittat, quia eius actio in Ecclesiastica sententia terminatur, nec magis potest irregularitatem inducere, quam ipsamet sententia. Quod si fortasse Ecclesiasticus Iudex temere procedat vsque ad sanguinis sententiam, ita ut irregularis ipse fiat, non propterea accusari ad irregularitatem imputabitur, per se loquendo, quia eius accusatio ad hoc non tendebat, neque ipse censeri potest causa illius damni: secus vero esset si ex malitia talem sententiam procurasset, vel ad illam concurrisset.

Expenditur dict. c. 2. de Homic. in 6.
Accusans reum coram Iudice Ecclesiastico non indiget protestatione.

Nec coram seculari, si crimen non est dignum poena deformationis.

Atque idem dicendum est, quoties accusator coram Iudice etiam seculari agit causam, quæ ex se non nectitur deformationis poenā, ut notant Nauarr. Couarr. & alij citatis locis. nam, licet contingat imponi talem poenā, vel ex malitia Iudicis, vel ex superuenientibus occasionibus, non imputabitur accusatori, nisi forte potuerit, & debuisset præuidere periculum, atque illud cauere.

19
Tertium verbum est, *Petunt emendam*, &c. Non enim excludit omnem aliam actionem præter accusationem, sed potius hanc concedendo, concedit alias per se cum illa coniunctas, ut sunt querelam prosequi, præsentando testes, & alia efficiendo, quæ ad vincendam causam necessaria sunt, ut ex communi sententia notauit Nauarr. consil. 9. de Homicidio. Qui addit ex Ancharrano, & Franco, etiam post laram sententiam posse petere executionem eius, & ut malefactores capiantur. Dubitat vero, an ante laram sententiam possit accusator petere ut malefactor capiat, magisque dubitat, an possit indicare locum ubi comprehendere possit fur, vel an possit eum

A detinere donec capiatur, quia hæc actiones non videntur necessariae ad recompensationem damni illati, & magis pertinent ad criminalem executionem sententiæ, cui cooperari non licet sine discrimine irregularitatis, quam ad petitionem iuris sui, quæ sola conceditur. Et confirmari hoc potest: nam si quis clamet, ut fur comprehendatur, & inde sequatur eius mors, non excusatur ab irregularitate, ut videtur esse communis sententia, quam refert Couarr. d. 5. n. 3. & Maiol. lib. 5. ca. 48. §. 4. n. 7. ergo minus licet illum capere, & Iudici ad mortem tradere.

Circa hoc Nauarr. dicto consil. distinctione vtitur: nam si fur sit fugitiuus, licitum erit detinere, vel indicare locum, ut capiatur, quia tunc est medium necessarium ad effectum sententiæ, & satisfactionē accusatoris: secus vero est, quando malefactor non est fugitiuus, sed capi poterit à Iudice, quia tunc non est medium necessarium. Quod confirmat ex simili distinctione iuris civilis, quod debitor fugitiuus capi potest auctoritate priuata, non vero qui non est fugitiuus, l. *Aut pretor*, §. *Si debitorem*, ff. fin. fraudem creditorum. Mihi vero distinctio non videtur necessaria, tum quia iuxta subiectam materiam vix potest esse reus, qui non sit persona fugitiua in ordinē ad Iudicis comprehensionem, & semper est periculum, quod capi nō possit, quamvis contingat in vno esse in ius, quam in alio: tum etiam, quia supponimus actionem accusatoris alioqui esse licitam, siue per detentionem fugientis latronis, siue per indicia data Iudici ad eius comprehensionem: tum deniq; quia supposito iure dicti c. 2. non est necesse medium esse necessarium simpliciter sed satis est esse vtile. Dico igitur, illud totum posse fieri sine irregularitate. Quod tenet expresse Couarr. citans plures dict. §. 5. num. 4. in fin. & Tabiena *Irregularitas*, 3. nu. 8. argumento cap. *Tua nos*, §. *ult.* de Homicidio. Idem tenet Maiolus lib. 2. cap. 7. num. 1. citans Speculatorem. Idemque colligitur ex Ancharrano, & Franco, quos citat Nauarr. Parum enim referre videtur, quod captura fiat ante, vel post laram sententiam, semper enim ad eundem finem ordinatur. Non ordinatur autē ad criminalem executionem tantum (tūc enim fieri non posset sine discrimine irregularitatis) sed ordinatur ad civilem executionem, id est, ad restitutionem damni illati.

D Ad confirmationem de vociferante aduersus latronem, quia ea occasione occiditur, distinguendum est: autem occiso sit postea à Iudice, vel sit statim in ipsa fuga vel captura à priuatis hominibus. In priori casu nego vociferantem manere irregularem: nā si licet capere, & detinere sine irregularitate, à fortiori licebit clamare, ut ab aliis detineatur, & sic. Nego etiam, communem opinionem esse in contrarium, nam autores, qui citantur vel pauci sunt, vel non loquuntur in hoc sensu, sed in posteriori. Supponimus autē, illum, qui sic clamat, esse ipsi summet, qui patitur furtum seu qui habet ius accusandi furem: oportet autem, ut protestationem postea faciat, ut euitet irregularitatis periculum: si autē quis clamet in furto alieno ita de illo iudicandum est, sicut de accusante in causa aliena. In posteriori autē casu incurritur irregularitas, & in eo expresse loquuntur Innoc. Hostiens. & Abb. in c. *Significasti* de Homicidio, & de illo intelligendi sunt *Symmista*, Angel. *Homicidium*, 2. num. 4. Syluestri quæst. 17. Tabiena *Irregularitas*, 2. num. 19. Armil. num. 33. nam licet absolute loquantur, quando latro occiditur, citant tamen prædictos Iuristas, & ideo iuxta illos exponendi sunt: in eo autem casu si homicidium sit intentū, irregularitas erit homicidij voluntarij alioqui erit casualis, & oportebit periculum esse præuisum, aut incaute ignoratum: quia sic vociferans operam dat rei licitæ scilicet defensionis bonorum, non enim debet clamare ut occidatur, quod per se notum est, sed ut impediatur, vel fugetur, vel quid simile.

Couarr.

Nauarr.

Tabiena, Maiolus, Anch., Francus.

21
Vociferans aduersus latronem qui in ipsa fuga occiditur non est irregularis.

Syluest., Tabien., Armil.

mile. Ita fere Syluest. supra, & q. 16. & Couar. supra, & sumitur ex dict. cap. Significasti, & intelligendum est iuxta supra dicta de bonorum defensione.

SECTIO III.

Virum ferens testimonium in causa sanguinis iusta sequuto effectu, fiat irregularis.

*Ratio dubi-
tandi.
Cap. Tua
no. de Ho-
mici.*

R

Atio dubitandi sumi potest ex c. Tua nos. §. vltim. de Homicidio. Vbi præbens Iudici signa comprobantia delictum latronis postea occisi, non censetur irregularis: illa autem actio æquivaleret testimonio, vel certe maius est illo, quia non solum certius, sed etiam euidentius ostendit delictum. In contrarium vero est, quia testis suo dicto, & actione est causa homicidij subsequuti, ergo cooperatur Iudici, & sic participat eandem irregularitatem cum illo.

*Communis
sententia.
Glossa.
Abbas.
Felinus.
Couarr.
Nauarr.
Maior.
Tabien.*

Communis sententia est, eum qui testimonium dicit in causa criminali, sequuto effectu, fieri irregularem. Quam tenet Glossa. Abbas, Felinus, & alij quos refert, & sequitur Couarr. dict. §. 5. num. 6. in fin. & Nauarr. capit. 27. num. 212. & Maiolus lib. 2. cap. 5. Qui distinctius quam alij explicat, quod licet testis iudicis præcepto coactus, aut per vim vel metum, qui in virum constantem cadat, cogatur delinquentem reuelare, semper erit irregularis, & citat Tabienam verb. Irregularitas, num. 22. vbi id affirmat, non quidem de illo, qui solum testificatur veritatem sed de illo, qui indicat alium Iudici, vel alteri quærenti illum ad mortem. Et idem sentit Syluester, Homicidium, 3. quæst. 7. vers. Sextum, & in q. 2. idem simpliciter dixerat de teste, in neutro aut loco explicat hoc procedere, etiam si ex iusto timore, vel præcepto hoc faciat. Idem tenet Antoninus 3. part. tit. 28. cap. 2. in principio. Fundamentum præcipuū est, quod est propositum de cooperatione, quæ maior est in teste, quam in accusatore, quia accusator non ita mouet Iudicem ad ferendam sententiam sicut testis: accusator etiam agit pro se, testis vero in causa aliena. Et protestatio non censetur sufficere in teste, quamuis accusatorem excuset, quia testis non sua defendit, sicut accusator. Vnde ad hanc irregularitatem probandam necesse non est aliquid ius asserere, vbi expresse feratur, nam continetur in his, quæ eos faciunt irregulares, qui quouis verbo, aut facto ad homicidium cooperantur, vt cap. De his, & Si quis viduam, cum aliis. d. 5. o. addendo, testem nullo iure excipi, etiam facta protestatione, sicut excipitur accusator.

*Probatur
conclusio, in
teste acce-
dente ad te-
stimonium
ferendum
voluntarie.*

Hæc communis sententia indubitata esse debet, quando testis voluntarie accedit ad testimonium ferendum in causa criminali, siue vltro se offerens, siue rogatus ab accusatore, siue vocat⁹ à iudice simpliciter mandato sine coactione vel obligatione in conscientia: nam licet in his casibus non peccet testificando, supponimus enim & causam esse iustam, & testificationem veram: nihilominus quia testificatio est simpliciter spontanea, sufficit ad irregularitatem ex defectu lenitatis contrahendam. Neque in hoc occurrit aliqua difficultas, quia, licet testificatio videatur esse sola veritatis assertio, tamen practica & in particulari facto proposita, mouet & est causa actus, & ideo voluntarie facta sufficit ad hanc irregularitatem.

*Argumenta
pro parte
negatiua de
testificante
ex præcepto.*

Difficultas autem est, quando interuenit præceptum iudicis obligans in conscientia, vel coactio cadens in constantem virum. Nam his duobus casibus videri potest, non incurrir irregularitatem propter huiusmodi testimonium maxime si cum protestatione fiat, quod solum ad vitandum peccatum, vel proprium nocuum, & non in damnum alteri-

us sit. Ratio est, quia in illo casu neque interuenit culpa, nec fit actio pure voluntaria: ergo nec irregularitas ex delicto, neque ex defectu lenitatis contrahitur. Deinde applicatur ratio supra adducta ex Caetano circa obligationem charitatis, quia scilicet nemo fit inhabilis in suo officio, eo quod impleat charitatis obligationem: hæc enim non minus vrget obligatione iustitiæ quæ quodammodo maior est, & in obligatione obedientiæ, quæ illam etiam includit. Qui enim fieri potest, vt quispiam incurrat in penam vel defectum legalem, propterea quod præcepto superioris obediat? Dices, etiam iudex obedit legi quando penam sanguinis lege textam imponit, & nihilominus fit irregularis. Respondetur, hanc obedientiam Iudicis seu necessitatem eius fundatam esse in propria voluntate, quæ se ad tale munus seu ad talem causam applicat: vnde dicere possumus, obligationem illius esse quasi conditionatam & quoad specificationem tantum, non absolutam & quoad exercitium: nam si vult iudicis munus exercere, debet iuste & secundum leges iudicare: absolute tamen non cogitur esse iudex: necessitas autem & obligatio testis est absoluta, vt culpam & inobedientiam vitare possit, non enim solum obligatur vt dicat verum si testificatur: sed simpliciter ad testificandum obligatur: & ideo absurdum videtur quod obediendo irregularis fiat.

Et confirmatur ex ratione Pontificis in dict. cap. 2. de Homicidio in 6. vbi accusatio cum protestatione non permittitur clericis, ne detur malefactoribus materia trucidandi & depradandi ipsos clericos, quæ daretur si clerici non possent de suis malefactoribus conqueri. Hæc vero ratio, & dispositio inefficax esset, si clerici non possent testes producere, qui absque periculo irregularitatis possent saltem à iudice per præceptum cogi ad testimonium dicendum, sepe enim non potest probari veritas nisi per clericos, qui magis deterrebuntur à munere testificandi timore irregularitatis, quàm à munere accusandi, quia minus comodi inde sperant, inutilis autem esset accusatio si non posset adhiberi probatio. Quod si clerici tunc testificari possunt, multo magis laici, tū quia facilius ad hoc cogi possunt à Iudice seculari: in clericis enim necessarium erit Prælati mādaturum, quod difficultas obtinebitur: tum propter rationem sapientiam, quod omnia, quæ licent in hoc genere clericis sine irregularitate, licent etiam laicis, seruata proportionem: tū denique quia saepe euenit delictum non posse probari nisi per laicos, qui timore irregularitatis auerterentur etiam à testificando. Ergo concessa illa facultate accusandi sine irregularitate, concessum censeri debet quidquid ad finem & effectum eius necessarium est. Nam hoc etiam principium in iure manifestum est, concessa potestate ad aliquem vsum, concedi etiam omnia, quæ ad illum necessaria sunt.

Dices, hoc argumento probaretur, omnes ministros iustitiæ posse sine irregularitate cooperari in tali causa, quia etiam sine illis non posset accusatio ad effectum perducī. Respondeo, esse dissimilem rationem, quia illi omnes ex officio sunt voluntarie deputati ad talia munera, sicut de iudice dicebamus: & ideo quamuis necessarij sint in Republica, non oportuit eis speciale priuilegium concedere, ne tales cause impediuntur, quia nullum est de hac re periculum: nunquam enim desunt ministri, qui hæc munera exerceant propter utilitatem temporalem, non obstantem irregularitate. At vero ad testimonium ferendum non sunt aliqui ex officio deputati, sed est particularis actio priuata personæ & non voluntaria, id est, non sine coactione aut obligatione præcepti. Sed vrges, ergo, si contingeret te esse aduocatū, tabellionem, vel similem ministrum, qui vellet concurrere in ea causa, non esset irregularis si ex præcepto Iudicis ad hoc compelleretur: consequens autem est falsum alias